



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Tuba Tragica, Seu Historiæ Horroris Plenæ Dominicis Per
Annum Concionatorio ritu aptatæ, Quibus ad oculum
ostenditur, quàm acribus pœnis flagitia proscindat
scelerum Ultor Deus**

Selhamer, Christoph

Norinbergæ, Anno Gratiaë M.DC.XCIX.

Concio XXXVIII. Dom. XIII. post Pent. Restitutionis defectus æternùm
noxius.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52721](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-52721)

cum aliis familiaritatem contraxisse. Caveant singuli hos latrones, qui nos per crapulam & foetentem luxuriam vitā privare ambiunt temporanea & sempiterna, cujus jacturam a nobis clemens Deus avertat! Amen.



CONCIO XXXVIII.
DOMINICA XIII. POST
PENTEC.

Ite ostendite vos Sacerdotibus. Luc. 17.

Defectus Restitutionis æternū noxius.

EM AA. iptum Christi præceptum de auriculari Confessione ritè coram Vicario ejus expedienda! *ite & ostendite vos Sacerdotibus*; his tanquam spiritualibus Medicis animæ jacentis vulnera maturè curanda exhibete. Sic sumi vult præfatas voces

D. P. Bonav. (1) *in hoc mandato instruit Dominus Sacerdotale officium omnibus esse reverendum, & ad curationem peccatorum esse necessarium.* Necessarium vocat, quia miserii peccatores alio medio nisi Sacræ Confessionis juvari non possunt, siquidem ea in viribus sit humanis, quibus sublatis certum est piam voluntatem à Clementissimo Deo ipso pro opere reputari. Hæc causa fuit, cur olim Constantinus Imperator omnes querelas scripto libello conclusas, & contra Ven. Clerum Cæsari oblatas publicis ignibus exuri vellet Imperator; æquum enim non est, inquiebat Cæsar, ut per nos illi judicentur, quorum judicio omnes hodie mortales, etiam Coronati Principes subjacemus. Alludit pientissimus Cæsar ad Sacerrimum Confessionis Tribunal, ubi Sacerdotes sedent tanquam

(1) S. Bonav. Ser. 4. in Dom. 18. post Pent.

A. Christus præcipit auricularem Confessionem.

Zz

Judi

Judices, & Supremi Numinis Vicarii, ut nostris nos piaculi expediant, & expeditos in libertatem filiorum Dei restituant. Misit hodie Servator noster lepram infectos homines ad Veteris Sacerdotium, ut Animam Medicos digitò signaret; in Veteri lege proprium munus erat Sacerdotum, lepram a non lepra discernere, a lepra morbidos remove, ne pars sincera contagiosam luem è commercio cum Contagiosis attraheret. Plus muneris novæ Legis Sacerdotibus incumbit, qui ex officio non tantum lepram inter & lepram judicant, sed lepram animæ adfitam totaliter etiam curant & medicantur; agnitio proin lepræ & illius distinctio Veteris Sacerdotio sola competeat, Novæ Legis Sacerdotibus utraque Virtus competit, cognitionis simul & curationis. Hinc omnium peccantium auribus alta voce intonat Augustinus (2) quæ loquuntur: *ite ostendite vos Sacerdotibus, seu quod idem, penitentiam agite, sed qualis agitur in Ecclesia.* Si quæras ultra ex Aug. quæ illa sit, fusiori periphrasi penitentiam describet his verbis: *Nemo sibi dicat, ego apud DEUM occulte agere penitentiam, Deus, qui mihi ignoscit, scit, quia in corde penitentiam ago.* Vult dicere S. Pater, occultam penitentiam nullam esse, & nulla ratione defendi posse, ipse iterum addatur: *noscit utique, sed non ideo ignoscit,* ergo juxta Augustinum, occulta penitentia non sufficit, ratio hujus ex ipsâ sumitur Scriptura juxta eundem Patrem sic loquentem: *An ergo sine causa dictum est, quæcumque solveritis in terra, erunt soluta et in caelis? ergo sine causa data sunt claves? verbo: frustrum Evangelium & verba Christi,* qui nempe credit vel asserit, scelus expiari per occultam penitentiam, & nullam Confessionem ad extra pro remissione criminum requiri. Cum itaque Christus hodie leprosis diceret, *ite & ostendite vos Sacerdotibus,* unâ omnibus præcepit, peccati lue contaminatio, ut suas animæ plagas per sinceram confessionem medicis exponant, siquidem pristinam velint gratiam, veram animæ salutem recuperare. Ut autem palam omnibus innotescat, quantum hoc uno è puncto salus hominum pendeat æviterna, idem statui calamo fusiore per tragicum quoddam exemplum proponere; quod cum longum sit & prolixum, sine ullis ambagibus operi manum accingo & historiam prehendendo. Facti veritatem

B.
Grande discrimen
inter Sacerdotes
Vet. Test.
& Novi.

(2) S. Aug.
hom. 49.

C.
Confessio
auricularis
bellè probatur
ex Aug.

nemo in dubium trahet, nisi pepo fuerit & hebes Sacrorum
 idiota. Nacta est præcones nimis magnos & nimis multos,
 omni exceptione majores hagiographos. Eam suo pastoralis
 horto inseruit (3) Jacobus Marcantius. Pædagogo suo (4) (3) Mar-
 Phil. Dulreman. Dominicali suo (5) Henr. Englgrav, & suo de
 peccatis tractatui (6) Georg. Stengelius; qui tamen omnes
 latentur, se illam originaliter à Joanne Lorino transsumpsisse,
 qui tunc actu præsens erat in urbe, ubi hæc dicuntur acci-
 disse; regionem quidem nomine tenus manifestat, familiam ta-
 men & Religiosum Ordinem, cujus putridum membrum alle-
 gatur, altò silentiò involvit, ut posteriorum famæ parcatur.
 Quis Lorinus fuerit primus omnium tragediæ hujus Author,
 lat abundè plures tomi loquuntur, quibus tam vetus quàm
 novum testamentum splendidè illustravit. Ut paucis omnia
 complectar, tanti nominis vir erat Lorinus, ut à legendi af-
 fiduitate alter Longinus Cassius, ab omnigena doctrina spi-
 rans Bibliotheca, ab uberrimo scientiarum apparatu *Ambulans*
Museum, ab Authoritate & immani diligentia, *inter solertis-*
simos scriptores accuratissimus Author diceretur, Sotvello (7)
 teste, fuit natione Gallus, patriâ Avenionensis, religione Je-
 suita, mundo natus an. 1559. & annis pluribus in Italia con-
 sumptis, mundo tandem Dolæ in Burgundia An. 1634. dena-
 tus, cum paulò antè sequentem tragediam loco præsens in Ita-
 lia excepisset. Erat illustri stemmate clarus Dynasta, una pro-
 le eaque mascula beatus an damnatus? Deus scit, albæ certè
 filius fuit gallinæ, quia unicus, ad omnem luxum, delicatum
 in morem educatus. Hic ne serò malitiam addisceret, omnem
 vanitatem à discolora matre & sacra exoso patre hausit puer.
 Amor, quò suam prolem hi parentes deperibant, simius erat
 amor, sicut enim simiæ ita perditè suos amant simiolos, ut
 eos arctissimè amplexando perimant, & occidant, sic ipsi hic
 locorum parentes, sobolem suam, quàm nimis ineptè dilige-
 bant, potiùs destruebant. Non credebat stulta mater, à se fi-
 lium amari, nisi omnia filiolo suo indulgeret & conniveret.
 Quidquid optimi vel in mensa fuit vel in penu domestica, id
 huic gratiarum pullo quacunque horâ tempestivè intempestivè
 sine modo, sine mensura ingeri debuit & obtrudí. Nihil pe-
 silen-

(3) Mar-
cant. in
hort. past.
f. 835.
(4) Pæd.
Christ. c.
15. tit.
Conf.
(5) Englgr.
p. 2. f. 269.
in fol.
(6) Ge.
Steng. in
7. peccat.
f. 28. in 4.
D.
Elogium
Lorini.
(7) Nat.
Sotvel. in
bibl. f. 470.

C.
Firmatur
Aug. affer-
tum etiam
exemplâ
tragicô.
Hist.



F.
Simius
Amor pa-
rentum
in filios
summè no-
xius est.

stilentius est, quàm si liberi molliter educati pessimæ libertati committantur; pejus est, si à cunis quasi & à primoribus anis ad epulas & choreas, ad comessationes & comotationes ipsi à parentibus suis deducantur, ad luxum & luxuriam ipsi à parentibus inflammentur. Hujusmodi parentes lapsâ Dominicâ veri nominis latrones diximus, quod nomen apprimè merentur. Augebunt latrocinantium parentum classem & numerum etiam hodierni, qui filium suum tanquam cœlo lapsum Numen visi sunt adorare; induebatur purpurâ & byssô filius lary etiam aurò amictâ, quasi idolum esset, carne morticina. At fors pulsasset pauperculus, nudus, inops, famelicus Codrus, ne quidem detritum calceum, ne quidem obolum ab avaris parentibus retulisset; usq; adeo ambos ferax avarities corripuit; opes nempe filio deaurando expensas, nulla pœnitudo exceptit, quia unica erat soboles totius familiæ fulcrum, & avitæ posteritatis columen. spes firma parentum ac senii prædulce levamen, cui tamen nullum unquam *Amen* echonice respondit; DEUS enim ita longè alia disposuit, quàm ea parens uterque somniavit. At Lorinus, cum adhuc nutricis manibus sustentaretur (ita enim etiam hodie pessimus ritus feminas inter invaluit, ut sæpè pœtida ex causa, v. g. formæ tuendæ gratiâ, liberis suis penuriam cellam illam denegent, quam materno in pectore feminis providit natura, prout loqui placet (8) Ferrerio) jam insus est ad numeros pedes componere, formare saltum & utraque manu phrasas gallicas effigiare; at quæsiisset nonnemo, ut Crucem nōisset dexterâ exprimere, Oratione Dominicâ Deum adorare, Angelica Deiparam venerari? ocius novercans mater reposuisset, nimis adhuc tenellum esse puellum, tam sublimibus mysteriis ritè capiendis inhabilem &c. ut quid ergo tam promptus capit ludicra, fescennina? ita nempe mundo & cœni primitias dicamus, Deo ac superis quisquillas. Ita Sacrorum rudis pessimè adolevit in omnem luxum projectus, in omnem perulantiam effusus, facturus aliquando parentibus sui grande cordolum, ex quo sperabant liberale solatium. Applicabant quidem literis archipullum suum parentes, ea tamen conditione magistris sancita, ut ne filio cerebellum distinguarent, aut nimio studiorum labore caput fatigarent; at cur caput

(8) S. Vinc.
Ferrer.
in hor.
princ. l. 2.
c. 23.

non læditur, cum solidas noctes ad sybariticas mensas pervigilant, ubi sæpè inter pocula & choreas præ lassitudine humi fluunt? cur nulla lassitudine caput premitur, cum lufibus & ganeis plures horæ, imò dies cum noctibus falluntur? Deum bonum! de nimia filii adultioris libertate, de morum licentia, de opum profusione, de parentum contemptu parentes conqueruntur, & ipsi interim in omnem licentiam prolem educant, talem habetis, qualem teneris ab annis in omnem audaciam educastis. Si vobis modò adultior soboles recalcitret, pœna vestra culpa est vestra improbi parentes, qui à cunabulis in omnem petulantiam stimulos proli vestræ dedistis. Vix ad maturam ætatem hæc soboles excrevit, sui unà juris esse voluit, monitoribus asper, atque indolem suam tot modis per parentes depravatam in dies & horas liberalius exseruit; non ille jam domi suæ sparthâ vel mensâ contentus, sed mensas sectari vicinas, quibus pratis floridiores Rosulæ assiderent & Narcissæ; his flosculis fascinatús nec ædibus ultrà se paternis concludi, nec feris parentum monitis se flecti passus est adolescens; his insuper habitis ludere, otiari, bacchari, comessari, magnò unà pretio vestiri, choros & choreas instituere hamata munuscula puellis quin & uxoris transmittere, quidquid lascivia dicitur, tentare cepit, & hæc quidè omnia gyaris & carcere digna tantò fortius tantò impudentius visus est sectari, quia interim parentes quoque fatò properò rapuit libitina. Crediderim hos parentes maximam sui partem uno esse cordoliò absumptos, quòd viderent, adultam prolem propriis parentibus calces illidere, monitis omnibus reboare, jugum excutere domesticum, & quâ data porta, in omnem libidinem toti familiæ probrosam grassari. At verò parentum culpâ hæc acciderunt; cur sobolem suam ita molli brachio educârunt? cur quidquid in votis erat puellulo, à teneris indulserunt? cur perenni palpo insolentem audaciam foverunt? quin perditæ sobolis suæ justo Judici pœnas dederint extincti, nullus dubito. Suadebant quidem huic libertino sanguine proximo juncti familiares, ut sibi conjugio jungeret nobilem damam ceris ac virtutibus inelytam, opibus ac fortunis opulentam, persuasi, sic forti lupato frænandam mentem & innovandam.

(9) Prov.
22.10) S. Hier.
ep. 7. ad
Latam.

G.

Quæ pueri
discimus,
etiam viri
prædica-
mus.

H.

Procis &
lusoribus
nullæ opes
sufficiunt.

nis (9) Oraculum: *Adolescens juxta viam suam ambulans, etiam cum senuerit non recedet ab ea.* Manet alta mente re-
pōstum, quod primis annis à parentibus hausit tenella ætas.
Hieronymo teste (10) *difficillimè eraditur, quod rudes non
perbiberunt: lanarum conchyliis quis in pristinum candorem
revocet? recens resta diu & saporem retinet & odorem, qui
primùm imbuta est.* Quod quis puer discit vel adolescens, et
vir aut senex factus ægerrimè dediscit, *quod nova testa capere
inveterata sapit, rectè puer à teneris intruatur? ad sententiam
usque sua in rectitudine durabit; malè contrà primis ab annis
informetur? naturam expellas furcâ, tamen usque redibit.*
Patet id abundè in præsentì juvenco. Connubiò ligatus nihil
ab antiquis moribus remisit, veneris furta impiè sectatus & ho-
sorum commercia. Duo maximè scelera esse jaçantur, qua
piceas nobis manus injectant, procandi libido & ludendi pe-
fida cupido. Scelus utrumque sine fundo est, quia inflatorem
est. Opes affluant & fortunæ? procus si fuerit aut perjurus
lusor, opes deficient & fortunæ. Vetus Testamentum lufus-
tur, veritas ad oculum patebit in Antiocho & in Salomone.
Nova lex discutatur, idem suò calculò probabit Herodes &
prodigus ille porcafter, quorum iste penitus ad incitas redi-
ctus est, ut etiam siliquis vesceretur *procus*, seu unâ tantum
literulâ, paululùm immutatâ *porcus*. Reliqui tantas opes cor-
radere non poterant, ut vel lusorias societates vel impia pe-
licum desideria explerent. Regales gazas lufus exhaurit &
procatio. Hæc qui credere renuit, hunc novæ familiæ ceo-
nomum suspiciat. Accepit à parentibus Cræseas opes, cui
dotem verè auream nova nupta, ter decem millia; his tamen
omnibus prodigiosè difflatis, intra paucos annos panè ad tri-
rios descendit. Abiit excessit paratæ monetæ plutus, neque
tamen solum vertit Asmodæus aut sodes Spiritus in aleas &
fritillos effusus; horum ut ingluviem expleret, nihil inausum
nihil intentatum reliquit, modis omnibus technis & versutis
intentus, quibus largos redderet proventus. Primi omnium
erant pauperes subditi, quos cum bonis nactus est paternam
hos ita corfit & annuis censibus adauxit, ut multos ad usque
vitam & sanguinem emungeret, & funditus exhauriret. *Alon
dols*

dolis & astibus circumvenit, alios fraudulenta venditione aut fallaci emptione decepit, alios grandibus usuris preffit, ut novis sed prohibitis artibus peculium exprimeret. Fuit, qui ex subditis modicum pedem exerraret, grandibus multis modicè reos castigavit, non gregem tondere doctus sed deglubere. Si paribus technis per vim & nefas corrasa fuit opima hæreditas, eidem à parentibus relicta, sed modò jam enormiter eventilata, mirum nemini videatur, tantos pecuniarum acervos tantillo tempore dissipatos esse & dilapidatos. *De male corrasis non gaudet tertius hæres.* Ut impiè parta sunt, ita pariter impiè ac sceleratè dilabuntur. Accedat lusus, & lulum prodiga opum luxuria comitetur? nec regina pecunia suis stabit basibus firma; humi cadet, & in pannosam pauperiem præcipitata ruet, imò in ipsum æternitatis barathrum toto impetu descendet, nisi alteri pessimè ablata, suum jubeat ad principium per candidam restitutionem reverti. Si verò peculium hæreditario jure à parentibus transumptum probi justique nominis peculium fuit, bonis titulis sine ullius injuria per industrios parentes ad auctum iterum diu subsistere non potuit, quia impiò filii lucrò mixtum fuit & contaminatum; sicut rubigo ferrum consumit, & lupinæ fides enervant ovinas, ita vel unicus iniquitatis nummus, ne dicam plures, probæ notæ aureis sociatus, grandibus etiam talentis affricat epilepsiam, ut redormiente dispereat argenti pondus & auri.

Novit apprimè Nobilis hujus sanguisugæ sordidam indolem, fraudibus & furtis, improbis usuris hirtescentem naturam loci Parochus & Ecclesiasticus Curio animarum; ac cum quævis salutis monita forti sibilo exploderet Dynasta, vidit facillè vir prudens in lucrando Nobili oleum & operam absumi, sine fructu sine emolumento; neque tamen passus est ita suam errantem oviculam extra gregem vagari, quin sæpius eam ad ovile revocaret, irritò semper conatu. Hæsit hic Nobilis in trito & triviali errore illo, qui vel hodie non paucos premere videtur. Vidit quidem sub iniquè partis, sub tam grandibus & illicitis usuris aliquam notabilem malitiam comprehendit, sed unà rudis fungus credidit, salva fore omnia, si modò fraudes & iniquitates suas suo candidè Confessario enun-

I.
Corradunt
cas per fas
& nefas.

K.
Male
parta male
dilabuntur

L.
Horribilis
error
mammoni-
starum,
qui cre-
dunt una

enun-

confessio-
ne scelerum
singula ex-
pediri, sine
restitutio-
ne.

enuntiet, qui cruce facta totam ociosam pravitatem abstergat. Instabat commodum Pascha, ubi ex Ecclesie precepto omnes Christi fideles proprio sacerdoti suo confiteri jubentur; hanc legem pro forma expleturus & hic Nobilis se suo sinit Parochi, qui animum poenitentem suis criminum laqueis expediat. Verum est, nullum scelus est, quod non extinguat poenitentia, si tamen vera sit poenitentia, non ficta, non simulata; quae erat praesentis Dynastae. Confessus est quidem fraudes suas & imposturas, quibus plurimum auri corrasit, usuras etiam suas ultra mensuram & sortem quocumque lucro protensus; at cum ab his iniquitatibus desistere nollet, atque insuper mala parta suis reddere dominis recusaret Dynasta, renuit pariter loci Curio eidem scelerum omnium sacramentariam absolutio- nem elargiri; ei una mentem explicuit magni Patris Augustini aperte professi: (11) *non dimittitur peccatum, nisi restituatur ablatum, si quidem restitui possit ablatum &c. si non restitui possit, & non restituitur, poenitentia non agitur, sed simulatur.* Recte judicavit secularis iste Curio, cum sine illius respectu poenitenti suo duplex onus imposuit, ut nempe tota iniquitatibus & illicitis usuris certum & efficacem numerum remitteret, atque una male parta suis, quibus sua rapta restitueret. Utinam pari zelo & cordato spiritu suos exciperent poenitentes religiosi iudices, animam forte suam a baratro servasset nobilis iste. Non potest Confessarius ullus sine impositione restitutione poenitentes huic nobili similes absolvere, nisi propriae salutis periculo se velit Confessarius involvere, & alterius peccata participare, prout hic factum inferius dicitur. Sic sacro ex ergastulo sine Cruce dimissus Dynasta, totam cacochymiam in animae peritissimum medicum evolvit, quae Nobili tanquam rustico loqueretur, & nesciret politiam, quae dis & crassis vocibus poenitentes exciperet, itane vero credidit audiat Ripaldus, qui magnis etiam dominis sanctam praedicat veritatem? desistite malignari, & mitiora occinent. Quae & qualis est poenitentia, plangere commissa, & plangenda non dimittere? Stultus sit andabata, qui haec non capiat? Sane Confessio sufficiat ad retinendum iniquitatis mammonam? non ultra tutum erit, nihil inaccessum; quaeratur incognitus iudex

(11) S. Aug.
Ep. ad
Maced.

M.

Onus
restitutio-
nis in SS.
tribunali-
bus urgea-
tur & ferid
inculcetur.
Defectu
restitutio-
nis intima-
tae con-
fessus suo
cum poeni-
tente
damnatur.

Confessarius, eique furtum propaletur; salva res. Facta Cruce, in ea erit rapina &c. hem quousque pertinax error grassetur, ad Dei ac hominum perennem contemptum. Maneat ergo suo in vigore Augustini Oraculum firmum, stabile, inconcussum: *non dimittitur peccatum, nisi restituatur ablatum.* Item alterum: *si verò non restituatur, cum possit restitui, pœnitentia non agitur, sed simulatur.* Non credidit Parocho suo Parochianus; ivit proin ad aliquem Societatis Patrem, qui tamen intellectâ causâ idem iudiciû judicavit, dixitque candidè, ipsum absolvi non posse, nisi fide sincera se omnium ablatorum restitutionem facturum adpromitteret, adjecta insuper hac tristi appendice: id nisi fecerit, actum esse de cœlo. Re ergo infecta etiam hoc à Judice nimis acerbo avaritiæ Aristarcho discessit, ac tertium adiit, inde etiam quartum, sed ab omnibus idem responsum, eandem retulit repulsam. Agebatur interim acribus conscientiæ stimulis Dynasta, quos cum nullus animorum Judex reprimeret, eò quòd ipse reus nullum à se mammonam rejiceret, nulli pœnitentiæ seriò agendæ se accomodaret, imò potiùs omnem restitutionis faciendæ mentionem subterfugeret, alia & alia tamdiu subsellia oberravit, donec tandem reperiret aliquem suum ad gustum vel idiotam vel libertinum fratrem, qui nullo discrimine, nulla potestate, scelus omne protervis ausibus absolveret, quoties absolvi vellet Dynasta, nulla unquam restitutione seriò inculcata. Hic unus sanguisugæ placuit; hic unus pessimo mammonistæ ad unguem satisfecit. Fuit hic sodes non secularis Sacerdos (quod studiosè memoro, ne Venerabili Clero præproperè dica sine ullo fundamine imponatur) hic, inquam, sodes secularis Sacerdos non fuit, sed religiosus, cappam & tunicam non item regulam professus, laxis frater & gastrimargus, qui sibi de præda tam pingui & opima tacitè applausit, ac modis omnibus hunc Nobilem suo studuit abdomini fovendo retinere, palàm dicere auditis, ceteros omnes nimiùm scrupulosos mentium tortores, nodum in scripo quæsisse, se gordios omnes uno ictu dissoluturum. Sic quoties mammonista vellet ab hoc Monachi monstro sinè ulla restitutionis impositione

Aaa

largam

largam & laxam absolutionem retulit, sed nudis & emedullatis vocibus expressam, re nullam. Quis fuerit Religiosus illi studio tacetur, ne, quod ævo nostro perquam receptum est, unius discoli sodis pravitas toti Corpori, toti Ordini & Religioni perperam affricetur. *Si videris Sacerdotem*

(dixerim hic loci: *si videris religiosum indignum*) verba recito magni Patris (12) Chrysof. *non ob id etiam calumniari Sacerdotium debes aut Religionem; neque enim calumniarum res est, sed ille solum meretur convitiis obrui, qui tanto abutitur; & Medici multi carnifices sunt, qui pro medicis preparant venena, neque tamen artem Medicam vituperant, sed eum, qui arte sua impie abutitur; impingunt etiam scopulos nauta, neque tamen ars navigandi, sed eorum perversa voluntas damnanda est.* Sic Chryf. Ne proinde pluribus imputetur, quod de uno indisciplinato & laxo fratre togâ & cucullotenus Monachum professo asseritur, non suppressitur. Dari tales nemini mirum videatur; in conspectu ejus nec cœli erant puri. *Reperit Deus etiam suis in Scriptura*

(12) S. Joan
Chryf. de
Virt. &
Vit.

(13) Job. 4.
(14) Joan.
6.

pravitatem, Scriptura (13) teste. Habuit suos inter diabolum quoque Collegium Apostolicum Christo (14) teste: *unus est vobis diabolus est.* Nihil itaque per unum ex legem & dissolutum fratrem, cujus Religio tacetur, sacris Cœtibus derogatur. Dicuntur hæc in genere aliis omnibus ad cautelam, ut unus damnò sempiternò sobrie in Domino sapiant universi. Ad historiam regredior. Hunc inter ollarem religiosum & domesticam magna extitit familiaritas; hinc se mutuò invilere, hinc suavissimè unà confabulari, hinc identidem lætissimè comedere & græcari. Gaudebat uterque mutuò alloqui conversatione, Nobilis immunitate & iniqui lucri quiete possessione, nomine ac cucullotenus religiosus larga comestatione. Sed ut certum finem ac mensuram magna scelera fortituro, ita hic quoque mensurâ scelerum expletâ, nihil ultra scelerum vindex Deus scelestis capitibus indulfit. Constatu- bant hi die quodam mensam opiparè instructam; convenerat

in prandio; mensæ affidebant uterque non tantum in vesperam, sed in seram quoque noctem extractæ. Volabant joci, salibus immodicis jam largius aspergebatur prudens ac timorata conscientia Parochus, jam ejusdem sententia Patres Jesuitæ, atque alii frustra per dynastam pulsati Confessarii. Ambulabant in orbem fercula, ibant in circum magnis hospitibus coronatum grandes scyphi, & crateres falernò spumantes; nemo illis lætior, nemo beator; at nesciebant stolidi, quid sequens ferret hora; nocte jam multa post lautissimam mensam Nobilis in lectum concessit, Monachus suum in claustrum se recepit; vix tamen se ad somnum ritè composuit frater, hem inopinato vernæ duo ad cœnobii fores properant, pulsant, sibi que ocius adesse jubent illum, quem Nobilis ille modo ad extrema per apoplexiam deductus suis à confessionibus haberet; proripuit hic se utut attonitus è frato properè, & injectis tumultuariè vestibus, socio comitante, ac binis vernis, qui eum evocabant, latera stipantibus facigeris se viæ committit. Per forum ut transeunt, videt eminus conscientia Arbiter micante luna Nobilem illum convivatorem suum nocturna in toga sua pro ædium foribus magnificè obambulantem; hœc visò, intempestivè se delusum ratus, amarulentiùs suis cum ductoribus expostulat, ut qui aliud ludendi tempus non habuissent, quàm ut sacer conscientia Judex lusùs ridiculi fieret argumentum? alios fuisse, quibus os sublinerent, ea si nocte comœdiam vel dare, vel spectare libuisset. Hæc cum diceret, adfuit ipse Dynasta vultu plus quàm truculento sic eum affatus: nihil hic fictum, vel jocò actum existima; non tantum ægrotavi, sed etiam vixi, apoplexiâ tactus & consumptus. Mortuus tecum loquor, & heu æternis orci focus adjudicatus! Cæpi ardere, ardeo, semperque ardebo, idque justè patior, quia hæc fraudibus & dolis, furtis & rapinis, usuris & malè partis opibus nunquam restitutis, nec non sacrilego Sacramentorum usu promerui; tu verò infelicissime popa, religionis tuæ turpe catarma, Ordinis tui feculentum sperma, perdicionis meæ pestilens causa extitisti; tui officii erat, mihi verum dicere, reum de vitiis increpare, impium lucrum seriò amoliri, è medio tollere proximas

peccandi occasiones, mammonæ restitutionem totis viribus urgere, ludicro pœnitent omnem absolutionem denegare &c. at verò cum mensæ tantum servires non conscientia, & longè pluris faceres offam meam, quàm animam meam, mihi idemitem palpum obtrufisti, & unâ peccantem suis in pravitatibus confirmasti, minùs necessariam restitutionem vociferatus, ut nequid abdomini tuo sublegeretur; par igitur est, ut scelerum meorum particeps fautor, etiam particeps fias pœnarum alastor &c. Hæc ubi dixit, duo vernæ inaverentes cacodæmonum larvas conversi, unus nobilem, alter ficti nominis religiosum comprehendit, eumque in icru oculi rectâ viâ in phlegetontem abstraxit. Solus ibi tam luctuose tragediæ spectator relictus est laicus frater, rei atrocitate horridum in morem perculsus, & hos inter continuos tremores tandem sine socio Patre domum regressus, ubi scenam in tragicam fratribus in choro congregatis, oculatus testis explicuit.

Hæc Tragediæ summa est satis utique horrida & luctuosa. Patet inde nec Deum ludi, nec pœnitentiæ Sacramentum. Patet inde, quantam obligationem importet scelerum peccatorum confessio, & opum malè partarum restitutio. Naustus est peccator pœnitens candidum, sobrium, pium simul & doctum conscientia Arbitrum, qui cum D. Paulo verè ac fidenter (15) asserat: *vos quæro, non vestra?* reperit Confessarium, qui nec hamatis munusculis, nec cuticulis bellariis se flecti patiatur, ut agat mitionem, ut palpò tangat ulcera, ubi potius ambabus palmis arctè premi debent, ut totum inde pus profuat & pituita? verbò, suæ conscientia fidelem arbitrum invenit, qui unam Dei gloriam, & animarum æviternam salutem præ oculis habeat, & veri nominis zelò ad cœlum dirigat pœnitentem, Sanctæ & intaminatæ Veritatis assiduus præco? is Deo dicat grates, & ab hoc regi patiatur; si verò talis non sit, sed vitalaxiori, & moribus gastrimargis, eum potius referre videatur, quem tandem ultimò ac pessimò locò adeptus fuit Nobilis hodiernus, citò citò alius quærat, qui nec statu, nec officio suo abutatur.

(15) 1. Cor.
12.

Talem

Talem Confessarium ubivis locorum verus pœnitens reperiet,
 cui animus est à vitiis seriò desistere & cœlestia sectari.
 Rapuisti aliena? bursis atque ædibus tuis maturè omnem
 Mammonam proscribe, quia sine restitutione juxta certam
 omnium sententiam salus tua in æternum conclamata est; si
 quidem possibilis sit restitutio; cum ad impossibile nemo teneatur.
 Age posthac cum omnibus & singulis candidè, germanè,
 sine furo, sine dolo, & nullum erit periculum Mammonæ.
 Vident hîc pariter æris alieni possessores reprobi, quos ver-
 nas & famulos ædibus suis conducant; vivi erant dæmones
 facigeri, qui tanquam obsequiosi Nobilis illius famuli Con-
 fessarium evocabant; hi etiamnum ædes illas, cistas illas
 & bursas oberrant; hi etiamnum arces illas & domicilia,
 Curias illas & aulas frequentant, quas habitant mamonistæ;
 sed tales hospites, tales ædium inquilinos nostris omnium
 à foribus, à nostris omnium tectis &
 ædibus clemens Deus pro-
 scribat! Amen.

